

mandatum. Et ego ex eodem mandato imperatoris iuro in anima sua, quod, ex quo venerit Venetias, omni questione et contradictione semota faciet iurari in anima sua, quod pacem ecclesie, sicut disposita est per mediatores et scripta, et pacem regis Sicilie usque ad quindecim annos, sicut scripta est, et treugam Lombardorum, sicut est per mediatores
5 utriusque partis dispositum, et in scripto, quod est apud eosdem mediatores, continetur, bona fide servabit et principes suos hoc ipsum iurare faciet.

Ego Sigilboth iuro, quod, ex quo dominus imperator venerit Venetias, predictum iuramentum pacis ecclesie et regis Sicilie et treuge Lombardorum faciet prestari in anima sua et principes suos similiter iurare faciet.

10

417.

Papst Alexander III. zeigt an, daß Kaiser Friedrich I. mit den deutschen Fürsten den Frieden beschworen habe.

[Venedig, 1177 Juli 30.]

Gedr.: Mon. Germ. Leg. 2,153. Jaffé 8512.

Anm.: Wegen der Datirung vergl. Prutz, K. Friedrich I. 2,365.

15

Alexander episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus et aliis ad generale capitulum Cistercii convenientibus salutem et apostolicam benedictionem. Habetis nunc per dei gratiam materiam exultationis et gaudii, de quo merito potestis immensas omnipotenti deo gratias agere, qui, cum habitet in altissimis, humilia respicit de supernis et facit in se credentes debita felicitate
20 gaudere. Habemus quidem pre oculis illius devotionis sincerissime puritatem, quam huius turbationis tempore circa nos et Romanam ecclesiam laudabiliter exhibuisse noscimini, et recognoscimus vos pro pace ecclesie apud deum assiduis orationibus intercessisse, quorum tandem intercessionibus excitatus ad eius imperium omni tempestate pacata naviculam Petri de profundo pelagi liberavit et portum sibi salutis et quietis indulisit. Sane karissimi
25 mus filius noster in Christo F. illustris Romanorum imperator inspirante domino, in cuius manu corda sunt regum et principum, per studium et laborem fratrum nostrorum et venerabilis fratris nostri P. Claromontensis episcopi et dilecti filii abbatis Bonevallis ad devotionem nostram rediit et ad catholicam unitatem et abrenuncians scismati, cum principibus Theotonici regni tam ecclesiasticis quam secularibus proximo die dominico ante
30 festum beati Iacobi apostoli presente innumera multitudine virorum et mulierum in domino altis vocibus exultante venit Venetiam ad presentiam nostram et nobis sicut summo pontifici reverentiam et subiectionem impendit et recepto pacis osculo nos in ecclesiam beati Marci usque ad altare humiliter et devote dextravit. In festo beati Iacobi ab eodem imperatore rogati ad eandem ecclesiam venimus ibi celebraturi missarum solemniam et,
35 cum audiret nos advenire, continuo nobis obviam venit et nos a dextero latere cum ea, qua decuit, reverentia et humilitate suscipiens in prescriptam ecclesiam introduxit et finita missa, quam a nobis licet indignis reverenter audivit, nos usque ad portam ecclesie dextravit et omnem honorem et reverentiam nobis exhibuit, quam predecessores eius nostris